

lari in singulis præceptis et actionibus eorum consideratur utilitas, seu commoditas, aut æquitas actionis præceptæ in ordine ad commune bonum reipublicæ humanæ, quia nihil in eo ordine præcipitur, nisi quod ad hunc finem est accommodatum; hac vero ratione supposita, illi adjuncta est significatio. Et ita recte subsistit differentia, quod figuralis ratio in cæremonialibus est primaria, in judicialibus autem secundaria. An vero in omnibus et singulis præceptis utriusque ordinis, necessarium sit utramque rationem simul inveniri, disputari posset; id tamen expositoribus divinæ Scripturæ relinquimus.

CAPUT IV.

CIRCA QUAM MATERIAM LEX VETUS ET PRÆCEPTA EJUS VERSATA FUERINT.

1. *De materia veteris.* — In materia legis, duo considerare solemus, scilicet, id quod præcipitur, et persona cui præceptum imponitur. Verumtamen hoc secundum explicabimus infra declarando effectus et obligationem illius legis; hic ergo solum materiam proximam, in quam lex illa cecidit vel cadere potuit, explicaturi sumus; quæ res, magna ex parte, in præcedenti capite tacta est, quia non poterat adæquatus finis illius legis sine aliqua cognitione materiæ ipsius comprehendendi: his autem suppositis quæ dicta sunt, reliqua facile expediemus.

2. *Materia sancta, et honesta.* — Dico ergo primo: materia illius legis non potuit esse nisi sancta et honesta. Assertio est de fide certa, et, quod attinet ad præcepta moralia, satis constat ex dictis supra de lege naturali; quod vero spectat ad præcepta positiva, intelligenda est cum partitione accommodata: nam præcepta affirmativa dicuntur versari circa materiam honestam, quia solum præcipiunt actus qui sancte et honeste exerceri possunt et debent, saltem supposita tali lege; præcepta autem negativa dicuntur versari circa materiam honestam, vel quia omissio actus prohibiti honesta est, vel quia actus prohibitus malus est, aut esse potest saltem ratione prohibitionis. Sic autem declarata conclusio probatur aperte, tum ex communi ratione legis, de cuius ratione est ut in materia recta et justa versetur, tum ex speciali excellentia legis Dei, cui non est similis in legislatoribus, ut dicitur Job. 36; et ideo lex, quæ Deum habet auctorem, non potest non

esse sancta, sicut ipse sanctus est; et ideo, in Scriptura, beati dicuntur et immaculati, qui ambulant in lege Domini, Psalm. 118, quia, ut dicitur Psalm. 18: *Lex Domini immaculata, testimonium Domini fidele, justitiæ Domini rectæ, præceptum Domini lucidum.* Item ad Rom. 7: *Itaque lex sancta, et mandatum justum, sanctum et bonum.* Et ideo Christus Dominus sæpe monebat non venisse solvere legem, sed adimplere; et Matth., 5. dixit: *Tota unum, aut unus apex non præteribit a lege;* et idcirco et ipse legem servavit, et secum etiam in infantia servari voluit, Luc. 1 et 2; et alios eam servare docuit, ut cum leprosus misit ut ostenderent se sacerdotibus, et offerrent quod præcepit Moyses, Matth. 8, et Luc. 5 et 17; et generaliter cum dixit, Matth. 23: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei; omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, et facite; secundum opera vero eorum nolite facere;* ubi Hieron., per cathedram Moysi, doctrinam legis intelligit, cui Christus honorem et observantiam deferri voluit, etiamsi doctores ejus pravi essent et eam non servarent.

3. *Contra dicta objectiones quatuor.* — Contra hanc vero assertionem objici potest primo testimonium Ezech. 20: *Dedit eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivant, et polluit eos cum muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam.* Secundo, obstat illud ad Hebr., 8, ubi de veteri Testamento dicitur: *Si prius illud culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur;* vetus autem Testamentum idem est quod lex vetus: ergo lex vetus non vacabat culpa. Tertio, auctor operis imperfecti in Matth., hom. 28, circa finem, prius de lege dicit: *Non justitiæ opus injungit.* Unde postea infert: *Vides quia injusta est lex et onerosa,* et iterum infra: *Ergo lex immitis est, quia quidquid mandavit, in ira sua mandavit.* Et infra: *Item lex superbia est,* etc. Quarto, objici possunt particularia præcepta, quæ justa non videntur, ut est lex de libello repudii, quam esse injustam, et ut talem a Christo esse damnatam Matth. 5, dixit Tiraquel. in Præf. ad Retract., num. 59, ubi etiam refert quæ dixerat n. 40; simile videtur esse quod de usura dicitur Deut. 23, ubi prohibetur dari ad usuram fratri, non autem alieno. Addi etiam potest lex quam auctor imperfecti in loco citato adducit, ex Levit. 19: *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.*

4. *Locus Ezechiel dupliciter exponitur.* —

Locus Ezechielis 20, duas habet expositiones: una est Augustini, epist. 19, quam sequitur D. Thomas, 1. 2, quæst. 98, art. 1, ad 1, ibi loqui Ezechielem de præceptis cæremonialibus, et ea vocare non bona, non quia essent de re mala, sed quia non erant talia ut homines facerent bonos, vel ut sine illis boni esse non possint, ut ait Augustinus, vel quia gratiam non conferebant, ut ait D. Thomas, sic exponens illa subsequenter verba: *Et judicia in quibus non vivant,* utique vita gratiæ. Alii etiam Patres illa verba intelligunt de præceptis a Deo datis in lege veteri, aliis vero modis explicant, cur dicantur non bona. Ambrosius enim, 1. 5, epist. 42: *Præcepta non bona, exponit, id est, non perfecta. Quia Deus, inquit, Evangelio perfectiora servavit.* Et ita exponit locum illum per alium Pauli ad Galat. 3, ubi lex dicitur pædagogus, quia erat lex imperfectorum, et quasi infantium. Simile habet Psalm. 118, octonar. 16 vers.: *Oculi mei defecerunt,* etc., ubi, objiciendo ex eodem loco infert: *Ergo Deus mala dat præcepta,* et respondet: *De præceptis sic solvitur, quia infirmis non dare debuit perfecta præcepta.* Idem fere sentit Chrysostomus, hom. 7, in 1 ad Corinth., dicens: *Quid est autem non bona? quæ non multum conferunt ad virtutem, et ideo subjungit justificationes in quibus non vivant.* Nec videtur hæc expositio displicuisse Hieronymo, Ezechiel. 20, in secunda expositione, ubi etiam, per præcepta non bona, multiplices legis cæremonias intelligit, quas appellari dicit præcepta non bona, non quia sint mala, sed quia non erant per se bona, et quia occasione mali data erant, scilicet, propter idololatrias et blasphemias, et ita data sunt quasi ad vitandum majus malum, ut Deo offerrent victimas quas dæmonibus offerebant.

5. *Prædicta expositio sufficienter solvit difficultatem.* — *Difficultas ex dicta expositione.* — Hæc expositio sufficienter solvit difficultatem, etiam admittendo sermonem ibi esse de ipsis præceptis Dei: nam quocumque illorum modorum sufficienter explicatur particula *non bona;* imo etiam possunt dici non bona, quia erant valde onerosa, quæ vix possent portari, ut dixit Petrus, Actor. 15, vel quia erant nimis rigida, ut *oculum pro oculo, dentem pro dente,* Exod., 21, etc. Verumtamen quod illa expositio supponit, scilicet, verba illa intelligi de præceptis legis veteris, sive cæremonialibus, sive judicialibus, difficultatem magnam habet. Primo, quia dixerat ibidem Deus: *Dedi eis præcepta mea, et judi-*

cia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis, insuper et sabbata mea dedi eis; et deinde conqueritur Deus: *Irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis, et sabbata mea violaverunt vehementer;* quæ verba iterum atque iterum repetit, et postea subjungit: *Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivant, et pollui eos in muneribus suis cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua.* Ex quo contextu videtur manifestum, hæc præcepta non bona, non esse illa quæ Deus prius dederat, sed potius illis opponi tanquam data in pœnam transgressionum priorum præceptorum, quod etiam indicat particula *ergo;* et illa particula copulativa *et:* nam hæc indicat hæc præcepta non bona esse distincta, et addita post priora; prior vero indicat causam, scilicet, quod hoc fecerit vel permiserit Deus propter transgressiones priorum præceptorum. Et, eadem ratione, judicia in ultimis verbis posita non sunt eadem quæ in prioribus, imo, per antithesim, illis opponuntur; nam qui fecerit judicia legis, vivet in illis; posteriora autem talia sunt, in quibus non vivitur; et hoc indicasse videtur Chrysostomus, hom. 17 in Acta, ponderans Stephanum vocasse legem, *eloquia viva,* ut ipse legit, quia sunt, inquit Chrysostomus, etiam eloquia non viva, de quibus Ezechiel dicit: *Et dedi vobis præcepta non bona, ad quæ respiciens Stephanus dicit, eloquia viva.* Clare ergo distinguit Chrysostomus illa præcepta non bona a lege Dei. Et eandem expositionem primo loco ponit Hieronymus, ibidem.

6. *Præcepta non bona apud Ezechielem re vera mala erant.* — Hac ergo expositione supposita, quæ mihi maxime litteralis videtur, concedo illa præcepta vocari non bona, quia revera erant mala et turpia, neque inde sequitur præcepta legis talia esse, sed potius oppositum infertur; nam hæc opponuntur illis tanquam non bona bonis, sicut judicia, in quibus non vivitur, opponuntur judiciis legis, quæ qui fecerit, vivit in illis, et munera ac oblationes quæ polluunt offerentem, opponuntur cæremoniis legis. Unde videtur mihi, sicut in lege distinguuntur illa tria, præcepta, judicia, et sabbata seu cæremoniæ, ita in pœna illata transgressoribus illarum trium partium legis, distingui illa tria: præcepta non bona; judicia, in quibus non vivitur; et munera, quæ polluunt offerentem. Superest

vero explicandum quomodo Deus dicatur dare talia præcepta non bona. Respondeo tamen breviter, cum Hieronymo, intelligi permissive juxta phrasim Scripturæ, sicut dixit Paulus ad Romanos 2: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum*; vel sicut dixit David, 2 Reg., 16: *Dominus præcepit ei*. Accedit quod propter transgressionem legis dabit Deus populum in captivitatē, et inde per occasionem populus ille imitabatur gentes in pravis moribus contrariis etiam legi naturæ, ut de idololatria, et similibus. Cogebatur etiam iniquorum regum leges sustinere, quæ possunt dici judicia, in quibus nec vitam, nec consolationem habent, et tunc etiam impias oblationes filiorum faciebant, et similibus muneribus amplius polluebantur. Juxta illud Psalm. 105: *Commixti sunt inter gentes: et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est eis in scandalum, et immolaverunt filios suos, et filias suas demoniis, etc.*, usque ad illud: *Et tradidit eos in manu gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos*. Igitur sicut eos Deus tradidit, ita eis dedit præcepta non bona, et polluit eos juste id permittendo.

7. *Ad locum Pauli duplex expositio.—Conciliatio utriusque expositionis.*—Secundum testimonium Pauli duas etiam habet expositiones. Una est, *si culpa vacasset*, id est, *imperfectione*, vel, ut græca habent, si esset irreprehensibile tanquam omni ex parte perfectum. Sensus ergo erit, si veteri Testamento nihil defuisset, novum non fuisset necessarium. Ita Cajetanus ibi, et sequitur Franciscus Ribera. Altera expositio est, ut sit sermo de vera culpa et peccato, non ipsius legis, sed eorum qui subiciebantur legi, ita ut sensus sit, si vetus Testamentum culpa vacasset, id est, *si illud primum testamentum inculpabiles effecisset observatores suos, nunquam secundo locus relinqueretur*; ut ibi ait Ambrosius et sequitur D. Thomas ibi, lectione 2, dicens legem veterem, licet bona fuerit, non vacasse culpa in his quibus data est; tum quia non purgabat commissa, tum quia non dabat gratiam adjutricem ad non committendum alia, sed tantum ad cognoscendum. Quod uno verbo expressit recte Chrysostomus ibi, homil. 14, dicens: *Si culpa vacasset, id est, si eos effecisset nulli culpæ affines*: et ponderat egregie non subdidisse Paulum, *vituperans enim ipsum*, id est, testamentum, sed, *vituperans enim ipsos*, id est, professores illius legis: in ipsis enim erat culpa, non in lege,

ut dixit idem Paulus ad Roman., 7. Et hoc ipsum colligitur ex verbis Jeremiæ 31: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum*. Et infra: *Pactum quod irritum fecerunt*, quæ ultima verba Paulus causaliter legit: *Quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, et ego neglexi eos*; illi ergo sunt qui culpa non vacabant, non lex. Possunt autem hæc duæ interpretationes conciliari, dicendo legem quidem fuisse imperfectam, quia vires non dabat professoribus ejus, ut essent a culpa immunes.

8. *Ad tertium.—Auctor imperfecti operis inexcusabilis.*—Ad tertium, respondeo auctorem illius operis non habere magnam auctoritatem, et ideo non esse necessarium singula verba ejus excusare. Nam sine dubio in verbis illis excedit, nunquam tamen dicit legem illam aliquod malum præcepisse, sed fuisse onerosam, quia præcipiebat et non juvabat, quod verum est. Quod vero addit, legem fuisse injustam, vel superbam, excusabile non est, sicut neque alia quæ paulo inferius notabimus.

9. *Ad quartum.*—Ad quartum, respondeo generaliter, licet in sensu aliquarum legum quæ videntur habere aliquid rationi contrarium, variæ sint opiniones, nihilominus in nullo sensu admittendum esse præceptum aliquod legis injustum, aut malum dici posse, in quo etiam excessit Tiraquel., loco ibi citato. Nam lex de libello repudii, si permissiva tantum erat, non erat mala; nam licet facere malum culpa sit, permittere malum, præsertim in Deo, non est malum, neque etiam est injustum, quia si id permisit, non fecit sine causa justa, ut Christus etiam declaravit, Mat., 5. Unde non recte etiam loquitur Tiraquel., dum, dicto n. 10, ait Christum damnasse, vel reprobasse illam legem; nam licet eam abstulerit, non damnavit, nisi exponatur reprobasse, non ut malam, sed ut minus perfectam. In quo sensu etiam Isid., lib. de Gentium vocation., cap. 15, et l. 2 de Different. spiritualib., c. 28, dixit propter similia præcepta dictum esse per Ezechielem: *Dedi eis præcepta non bona*, utique ait, *quia quedam carnali populo carnaliter agenda permissa sunt*, et adduxit exemplum de permissione facta Hebræis ad spoliandum Ægyptios, Exod. 3, n. 11 et 12; quæ tamen non fuit pura permissio, sed etiam concessio et retributio.

10. *Lex de libello repudii potuit esse per-*

missiva et concessiva.—Ad ultimum.—Quocirca etiam lex de libello repudii potuit esse non tantum permissiva, sed etiam concessiva, et sic etiam nec injustitiam contineret, quia, ex concessione divina, sub illa lege et conditione contractus a principio fieret. Atque idem dicendum est de lege usurarum; nam eisdem duobus modis ab auctoribus intelligitur, et uterque suam habet probabilitatem, ut videri potest in Covarr., libro 3 Variar., c. 1, n. 7. Neutro autem modo esset lex injusta aut mala; nam si fuit pura permissio, fieri potuit ex justa causa; si autem fuit etiam concessio, potuerunt Judæi habere justum titulum petendi et accipiendi illas usuras, tanquam a Deo donatas, vel ut a supremo Domino, vel ut a justo iudice. Alia vero lex falso allegatur; nam in Levitico solum dicitur: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, antiqui autem Hebræorum (ut sumitur ex Matthæo, 5), male interpretando, addebant: *Et odio habebis inimicum tuum*; cum potius intelligere debuissent proximum amici nomine significatum esse, ut intelligamus omnem proximum ut amicum diligendum esse, sicut tacite illud interpretatus est Christus Dominus, Matth., cap. 22.

11. *Materia legis veteris actus internos per se et directe comprehendebat.—Hinc differt a lege humana.*—Dico secundo: materia veteris legis actus etiam internos per se et directe comprehendebat. Itaque in hoc differt lex illa a lege humana, quia hæc per se non extenditur ad actus mere internos, illa vero eos præcipiebat et vetabat. Quæ differentia ex diversitate legislatorum nascitur: nam homo non dominatur in actus internos, quia illos per se cognoscere non potest; Deus autem scrutator est cordium, et ideo jurisdictionem habet, et directum dominium in actus mere interiores. Quæ ratio optime probat legem divinam posse cadere in actus internos: quod autem lex vetus hoc habuerit, probandum est ex Scriptura; ostendi autem potest primo, ex illo Levit., 19: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*; et infra: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; et ex illo Deut., 6: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. Et infra: *Eruntque verba hæc in corde tuo, et meditaberis in eis*, quæ omnia in actibus internis consistunt. Item facit illud Ps. 18: *Lex Domini immaculata convertens animas*; nam conversio animæ actus interior est; lex autem non convertit animam, agendo conversionem, sed præcipiendo. Unde lex illa præ-

cipiebat veram poenitentiam, et conversionem ad Deum, ut passim constat ex Prophetis; imo ad hoc tempus etiam designabat, Levitic., 16: *Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras*, utique per internam poenitentiam; nam exterior potius corpus quam animam affligit. Item poenitentia interior est, quæ mundat a peccatis, et tamen ibi subjungitur: *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris; coram Domino mundabimini*. Erat ergo præceptum illud præcipue de interna poenitentia. Denique Exod., 20, habetur generale mandatum, *Non concupisces*, quod omnem immoderatam concupiscentiam prohibebat, ut sumitur ex Paulo ad Rom., 7; ergo lex illa etiam internos actus cohibebat.

12. Addi etiam potest ratio fundata in verbis Psalm. 118: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; et in verbis Christi, Matthæi 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, utique in lege veteri contenta: nam qui Christum interrogaverat, ad illam observandam tenebatur. Item in verbis Pauli ad Roman. 5: *Factores legis justificabuntur*. Unde formatur ratio; nam integra observatio illius legis constituerebat hominem immaculatum, et justum, et dignum vita æterna; sed sine actibus internis ad salutem necessariis non potest homo esse justus, et immaculatus, nec vita æterna dignus: ergo hi actus sub materia illius legis comprehendebantur. Et huc etiam spectant discursus divi Thomæ hic, quæstione 98, art. 1, et quæst. 99, art. 2; nam in priori probat ad perfectam rationem legis divinæ pertinere, ut dirigat hominem ad vitam æternam quæ per quodcumque peccatum impeditur, et non solum per actus exteriores, sed etiam per interiores; lex ergo vetus, quæ divina est, circa utrumque versari debuit. In altero vero articulo docet, sicut lex humana intendit amicitiam hominum inter se, ita legem divinam intendere amicitiam hominum cum Deo et consequenter intendere facere homines similes Deo, juxta illud Levitic., 19: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*, quia similitudo est causa amoris; hæc autem similitudo ad Deum, et vera sanctitas præcipue per actus internos comparatur: ergo hos etiam actus præcipiebat lex illa, quæ divina erat.

13. *Objectiones quatuor.*—Contra hanc vero assertionem objici potest, primo, quia Paulus, ad Roman. 3, legem veterem vocat, legem factorum, quæ vox actiones externas proprie

significat; indicat ergo legem illam solum fuisse de externis factis, ad modum legis humanæ. Secundo, objici potest divus Thomas, quæst. 91, art. 5, dicens legem novam superabundare veteri, interiores actus animi ordinando, secundum illud Matth., 5: *Nisi abundaverit justitia vestra, etc. Et ideo* (inquit) *dicitur quod lex vetus cohibet manum, lex nova animum*: ergo non versabatur circa internos actus. Tertio, addi potest auctor imperfecti in Matthæum, homilia 28, ubi sic inquit: *Et si impleverit quis omnem justitiam legis, vivit quidem in ea, non tamen justificatus est*. Et reddit rationem, *quoniam lex abstinentiam mandat malorum, ut, non occides; non justitiæ opus injungit, ut, non irascaris sine causa, et, non concupisces*. Ubi significat legem illam non prohibuisse hos internos motus, quod late prosequitur. Quarto, argumentari possumus, quia alias sequitur legem illam præcepisse actus Fidei, Spei et Charitatis; consequens est falsum, ergo. Sequela patet ex dictis: nam illi sunt actus interni, et maxime necessarii ad finem divinæ legis, quia sine fide viva impossibile est placere Deo: consequens est falsum, tum quia alias lex illa justificaret contra Paulum ad Romanos, 3 et seq., et ad Galat., 2 et 4; tum etiam quia illa lex tantum habebat præcepta moralia, cæremonialia et judicialia: sub nullo autem membro illorum comprehenduntur præcepta theologalia, ut sic dicam; tum denique quia alias lex illa esset valde perfecta, si præcepta illa, quæ perfectissima sunt, contineret: consequens est contra Paulum, vocantem legem illam infirmam et imbecilem, ad Hebr., cap. 7.

14. *Ad primum respondetur.* — *Impugnatur hæc responsio.* — *Vera responsio.* — Ad primum responderi potest, primo, Paulum ibi loqui de lege, quatenus positiva erat, et præsertim quatenus continebat præcepta cæremonialia, quæ ut sic tantum circa actus externos versabatur, et ideo appellatur lex factorum, et ad Hebr., 7, vocatur *lex mandati carnalis*: cum autem dicimus legem illam versari circa actus internos, intelligendum est de illa quoad præcepta moralia. Hæc vero responsio non placet, primo, quia Paulus, cum dicit legem non justificare, non tantum cæremonialem, sed etiam moralem complectitur; nam præceptum illud: *Non concupisces*, morale est, et tamen loquitur de lege, ut illud comprehendit, ut patet ad Roman., 7. Item ratio Pauli, ad Galat., 4: *Si ex lege justitia, ergo gratis Christus mortuus est, ut*

sit efficax, æque procedere debet de lege morali ac de cæremoniali, ut per se constat, et notavit Augustinus de Spirit. et litter., cap. 14. Secundo, non placet illa responsio, quia etiam lex illa ut erat positiva, interdum versabatur circa internos actus, ut de præcepto festi expiationis supra ostendimus. Licet enim verum sit præceptum illud, solum quoad determinationem temporis, fuisse positivum, et illam determinationem conjunctam fuisse cum exteriori celebratione diei festi, nihilominus actus ille internus non erat per se conjunctus cum tali celebritate, sed solum quia directe præcipiebatur. Dico ergo legem illam vocari factorum, sumpta denominatione a majori parte, et præcipue addita per illam legem. Unde nihil obstat quod aliquid etiam internum præciperet. Addi etiam potest omne opus hominis, etiam internum, quatenus ab ipso fit, sub factorum nomine comprehendi, ut ex dicendis constabit.

15. *Ad secundum.* — *Alia responsio.* — Ad secundum, respondeo illam differentiam a D. Thoma positam intelligendam esse de illa lege, ut positiva erat, ut sic enim comparatur cum lege gratiæ; non ut erat moralis, nam ut sic quoad rem ipsam manet sub lege gratiæ. Deinde D. Thomas non negat legem veterem direxisse actus internos, sed dicit in hoc superabundare legem gratiæ, quia perfectiori modo illos dirigit. Et ad hoc adducit verba Christi Matth., 5: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. In quo tamen adverto Christum non loqui de justitia legis, sed de observantia legis, quam ibi justitiam vocat, ut recte ibi Maldonat. advertit. Unde sensus est, nisi legem servetis melius quam scribæ et pharisæi, non intrabitis in regnum cælorum: nam pharisæi in exterioribus legem servabant, non interius, ut colligitur ex Matth., 23; ergo perfecta observatio illius legis etiam interiorum rectitudinem postulabat. Et in hoc sensu dixit Gloss., ibi, illud *nisi abundaverit*, referendum esse ad intellectum pharisæorum, non ad continentiam legis; et ita juxta hunc sensum potius ex illo loco confirmatur nostra assertio. Deinde adverto ex Augustino, 19 contra Faust., cap. 23 et 28, ea quæ addit Christus ad augendam justitiam legis, magna ex parte fuisse contenta in ipsa lege, licet vel non fuerint intellecta, vel non observata a pharisæis, et inter hæc fortasse unum erat, quo lex cohiberet manum, non animum. Alia vero, per-

continentia ad majorem perfectionem, non tantum in actibus internis, sed etiam in externis constant. Denique potest illa differentia intelligi de lege non ut præcipiente, sed ut operante: utraque enim lex divina, ut præcipiens, versatur circa actus internos et externos: lex autem vetus solum per se quasi cogebat ad exteriores actus, per poenas et comminationes quæ animum non inducunt: lex autem nova per spiritum gratiæ animum inducit.

16. *Ad tertium.* — Ad tertium, respondeo in rigore falsam esse sententiam illius auctoris; nam sine dubio lex illa non solum vetabat mala opera, sed etiam pravum animum, vel inordinatam concupiscentiam, ut ex Paulo et ex verbis legis constat. Item non solum vetabat mala, sed etiam præcipiebat opera justa: unde certum est quod qui ex vera fide legem illam servaret, non solum non esset malus, sed etiam esset justus. Imo intelligi non potest quod ille auctor distinguit inter innocentem et justum, dicens: *Qui abstinet se a malis esse innocentem, non tamen fore justum, nisi opus justitiæ faciat*. At certe apud Deum nemo est innocens, nisi justus; nam si opus justitiæ non est necessarium, sicut potest esse innocens qui illud non facit, ita etiam justus; quod si opus justitiæ necessarium sit, qui illud non fecerit, nec justus nec innocens erit, quia non abstinuit ab omni malo, saltem omissionis. Denique intelligi non potest alia distinctio, quam adhibet inter vivere et esse justum; non enim loquitur de vita corporali, adducit enim verba Christi Luc, 10: *Hæc fac et vives*, et ponderat non dixisse: *Et eris justus*, quod certe ineptissimum est. Non potest ergo auctor ille habere commodam expositionem.

17. *Ad quartum.* — *Quo sensu lex vetus imperfecta sit dicenda.* — Ad quartum, concedo sequelam, scilicet, præcepta Fidei, Spei et Charitatis sub præceptis illius legis comprehendendi, quam sententiam in cap. 7 latius tractabo et confirmabo, et ibidem ostendam inde non sequi legem illam dedisse justitiam aut justificasse: et nunc breviter declaratur, quia longe aliud est præcipere, aliud dare. Quamvis ergo lex illa præciperet actus veræ justitiæ, non sequitur dedisse illos, et consequenter, neque sequitur dedisse justitiam aut justificasse; quamvis ergo illa lex præciperet fidem vivam, non dabat spiritum fidei et vivificantem, ut infra dicemus, et ideo non

justificabat. Ad primam ergo rationem in contrarium objectam, negatur sequela. Ad secundam rationem, quidam dicunt hæc præcepta non contineri sub aliquo illorum trium membrorum, et putant esse sententiam divi Thomæ, dicta quæst. 99, art. 5, quia ibi significat præceptum fidei comprehendendi in Scriptura sub *testimoniis Dei*: præceptum autem Spei sub *justificationibus*. Sed veritas est hæc omnia comprehendendi sub præceptis moralibus; nam illa comprehendunt totum id quod pertinet ad legem naturalem, sive dicantur respectu solius naturæ, sive etiam per connaturalitatem ad gratiam, ut supra l. 1 et 2 declaravi; et attigit hic Cajetanus, quæst. 100, art. 1, qui proinde hanc sententiam indicat. Et clarius ibidem divus Thomas, in fine articuli, ubi ait quædam esse moralia præcepta ad quæ judicanda indiget ratio humana introductione divina, per quam erudimur de divinis, et per hoc respondet ad tertium argumentum quod de præcepto Fidei proposuerat. Expressius vero in eadem q. 100, art. 4, dicit ad Decalogum pertinere illa præcepta, quæ statim vel ex principiis communibus, vel ex fide divinitus infusa innotescunt. Denique supra ostensum est divisionem præceptorum in tria illa membra esse sufficientem: cum ergo constet hæc præcepta non esse judicialia, nec cæremonialia, recte sub moralibus comprehenduntur, non ut moralia a theologalibus distinguuntur, sed ut actus liberi et honesti morales dicuntur. Neque obstat quod de justificationibus dicebatur; nam omnium præceptorum observationes possunt dici justificationes, quia generalem justitiam includunt, ut notavit D. Thomas, dicta quæstione centesima, art. 2, ad 1; et eadem ratione, omnia præcepta legis, quatenus in divina revelatione nitebantur, testimonia dici possunt. Unde illæ duæ voces generales sunt, ut ex Psalmo etiam centesimo decimo octavo non obscure colligitur, et ideo non excludunt sufficientiam partitionis præceptorum per illa tria membra. Tertia vero ratio petebat, ut aliquid diceremus de perfectione vel imperfectione illius legis. Sed hoc dicitur melius in c. 6, et ideo breviter dico, ex Augustino contra Adimantum Manichæum, legem illam, licet actus valde perfectos præciperet, dici imperfectam, quia vires ad illos exequendos non præstabat.

18. *Quos actus externos legis veteris materia comprehendebat.* — *Materia alicujus præcepti dupliciter ad honestatem morum neces-*